



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio II. Incarnatio conueniens fuit humanitati assumptæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
q. 1. art. 1.

alijs viribus quàm suis. ob quod vno hypostatica, & omne ens supernaturale competit Deo, & in hoc sensu est illi conueniens: competit enim virtuti factiuz effectus. Quapropter S. Dionysius cap. 4. de Diuinis nominib. dixit: *Et eo ipso quòd bonum est, vt substantiale bonum, in omnia que sunt, pertendit bonitatem.*

§. 2. Secundò, conueniens accipitur pro decenti & congruenti, id est, quod alicui honestum est, vt, honor est conueniens naturæ intellectuali; item & virtus. Sic accipitur à S. Bonauent. in 3. dist. 20. Conueniens enim idem est, quod veniens cum alio, id est, quod illi benè est. Item accipitur pro vtili & delectabili: delectabile enim conuenit naturæ quam delectat, id est, illi est benè, & per se est bonum: vt, gaudium conuenit voluntati, ob quod & eius obiectum. vtile autem etiam conuenit ad assequendum finem: medium enim bonum est ad finem. Itaque conueniens in hac secunda significacione recidit in bonū. huius oppositum est inconueniens, seu disconueniens: quando duo non veniunt simul, sed abhorrent. vt, calor est inconueniens aquæ ab illo abhorrenti: dolor item est inconueniens naturæ intellectuali.

## SECTIO II.

### *Incarnatio conueniens fuit humanitati adsumptæ.*

§. 3. **Q**uamuis Incarnatio in prima significacione non est humanitati conueniens; est tamen in secūda, quia nihil est honestius sanctificatione: hanc autem accipit humanitas Christi gradu excellentissimo inter omnes quos possumus excogitare. Item nihil est honestius, quàm Deo coniungi: Incarnatio autem est formalis & realis coniunctio humanitatis cum Deo, constituens vnā personam ex Deo, & natura humana, vt verè homo dicatur Deus, & Deus homo: quā vnione humanitas Christi prætergressa est dignitatem omnium creaturarum. Præterea Incarnatio est vtilis humanitati ad gratiam habitualement, virtutes infusas, & visionem beatam, quas propter Incarnationem habet intensione infinita.

§. 4. Obijcis, humanitatem fore violentam cum Incarnatione: ergo Incarnatio non est illi conueniens. Consequentia pater: quia violentum est inconueniens rei cui est violentum, quæ res illi resistit propter inconuenientiam. Antecedens probò à definitione violenti; quod est à principio extrinseco passo non conferente vim, id est, reluctante passo. hoc ita contingere humanitati, patet, quia Incarnatio est à principio extrinseco reluctante humanitate per inclinationem ad subsistentiam naturalem, quæ impossibilis est cum supernaturali Verbi. Vt enim aqua calori resistit per inclinationem ad frigiditatem: ita humanitas Incarnationi per inclinationem ad subsistentiam propriam. Quo argumento probat Scorus, subsistentiam naturalem nihil esse positiuum.

§. 5. Qui negant creaturam pati posse violentiam à Deo, se facilè expedient, quia Incarnationis causa efficiens est solus Deus. Respondetur, negata violentia humanitatis. Ad probationem, negatur renitentia humanitatis. & quidem si dicamus

vnionem hypostaticam non pugnare ex natura sua cum subsistentia naturali, ruit totum argumentum, eritque Incarnatio vndique conueniens humanitati: quia cum eam tam mirè perficiat, non priuat ex natura sua aliqua perfectione naturali. Quòd si ea à Deo priuatur, non est propter conceptum Incarnationis, sed alias ob causas. Esto tamen opponantur ex natura sua illæ subsistentiæ; adhuc humanitas non renititur, quia appetitus naturalis est metaphoricus explicandus per elicited. Quando aliquis cognoscit se donari perfectione aliqua eximia, ipsi minimè debita, ad quam fruendam opus est carere perfectione sibi debita, inferiori tamen perfectione indebita; non dubium quin teneatur per appetitum elicited maiorem perfectionem præferre minori. vt, si quis extrahendus sit è patria ad accipiendum regnum extra illam, præferet regnum existentie in patria: quia multò melius est illi regnum, quàm ea existentia. Quia igitur subsistentia Verbi est multò nobilior, quàm naturalis, multò melius perficiens humanitatem; hæc non patitur vim carentiæ subsistentiæ propriæ, quando pro illa subrogatur melior, non solum secundum se, sed etiam illi melior. quod patet in Beatis, quorum intellectus habet naturalem inclinationem ad exercendam fidem humanam, & ad alias cognitiones imperfectas quas in patria habere non potest propter visionem beatam: nec tamen est violentus, alioquin non esset beatus. item beatus habet appetitum naturalem ad comedendum: nec tamen est violentus in patria. Exemplum aquæ est frigidum: quamuis enim calor secundum se melior sit frigore, aquæ tamen est malus, quia illam corrumpit: vno autem hypostatica quid mali infert humanitati?

## SECTIO III.

### *Conueniens etiam fuit toti generi humano.*

§. 6. **N**on est dubium Incarnationem conuenientem fuisse vniuerso generi humano. Primum, ratione honesti: est enim hominum prærogatiua singularis Deum habere consortem speciei humanæ. S. Thomas rem tractat eruditissime q. 1. art. 2. & q. 46. art. 1. allegans SS. Patrum testimonià: præcipuè tamen S. Augustini qui tom. 3. lib. 13. de Trinitate cap. 10. acutissime perpendit, quanta emolumenta perceperit genus hominum ex Incarnatione. Recognosce totum illud caput. Item de Agone Christiano cap. 11. eodem tomo 3. Itaque (ait ibi) *Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpeffus est, hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanatur: quæ auaritia sanari potest, si paupertate Filij Dei non sanatur? &c.* Item: *Erigat spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, & videat quantum locum habet in operibus Dei.* Item: *O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia rescipientem, omnia superflua rescipientem, omnia necessaria custodientem, omnia perditia reparantem, omnia deprauata corrigentem!* Legatur totum caput, & initium sequentis: item S. Leo sermonibus de Natiuit. Epiphani. & Passione.

SECTIO